



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

98 Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani personae, & bona sunt exempta  
à jurisdictione quorumcunque.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Auditori, quibuscunque conservatoribus in dignitate Ecclesiastica constitutis electis, & eligendis, coram quibus de-  
rentores sunt vocandi, quia nemo sua possessione privari potest, nisi pravia citatione, cum non sit de mente Pontificis, ut quis removeatur à possessione sine causæ cognitione. Innoc. in cap. 1. num. 4. de concess. preb. in 6. & Felyn. in c. si. n. 24. de presump. sed tamen possessores regula de annali, vel triennali juvari non possunt, quia illis fuit derogatum cum decreto irritanti, & clausula, sicque in præmissis, &c. ac sublata, &c. quæ removeant omnem facultatem aliter judicandi, vel interpretandi ex alijs allegatis.

Pro collatione ¶ parochialium ecclesiarum ab eadem Religione dependentium; & suæ dispositioni spectantium, tenentur collatores personas idoneas Ordinariis locorum, vel, si præceptoris, à quibus dependent, nullius diocesis existant, vicinioribus Episcopis ordinariis ad examen præsentare, quæ examina gratis, & absque aliqua impensa fieri debent, à quibus examinati, & idonei reperiuntur, collatores ejusdem ordinis easdem parochiales conferre possunt, ut in ea Bull. Pii V. cap. 139, incipien. exposcit. cir. med. & instab. c. priores. de com.

Uterius ¶ Priores, Bajulivi, Castellanus empotæ, commendatarii, milites, fratres, personæ, vasalli, membra, loca, & bona quæcunque ejusdem ordinis, sunt exempta à quorumcunque locorum, tam laicorum, quam Ecclesiasticorum Ordinariis jurisdictione, ita quod ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua agitur, ubicunque committatur de-

lictum, in eatur contractus, & res ipsæ consistat, etiam si ex adverso aliqui clerici seculares, vel regulares, aut laici existant, sub plenaria, & omni moda, etiam mero & misto Imperii jurisdictione, ¶ & superioritate Magni Magistri, & conventus existunt, ut in ea Bulla Pii IV. pagina 663. circa princ. pag. 665. & pag. 671. circa fin. vers. necnon causas, & propterea in commendatarios fratres, & personas ejusdem ordinis, etiam gladii, & deponendi facultatem, quam in delinquentes illos habitu, commendis, & vita privando habent, possunt exercere, ut instab. ejusdem ordinis. cap. indignum. cap. falsarij. cap. frater. cap. qui proditorie, cap. si frater. cum plur. seq. de poen. & cap. habitu privatus. de verbor. significat. In mero autem & misto imperio cum omnimoda jurisdictione consistit gladii potestas animadvertendi in facinorosos, & quamcunque jurisdictionem exercendi. l. imperium. & ibi gloss. in ver. mistum, & Bar. num. 8. Bald. num. 3. Paul. de Caltr. num. 5. & Jas. num. 8. ff. de juridic. omn. jud. ¶ sententiæq; per eisdem Magnum Magistrum, & conventum lata, omnesq; commissiones, & citationes, collationes Bullæ, & omnia eorundem rescripta, à nullis locorum, & terrarum dominis, etiam Ducali, aut Regali auctoritate fulgentibus, expectato consensu libere exequi possunt, ut in ea. Bull. pag. 572. in princ. vers. & similiter.

Præterea ¶ præfati Bajulivi, Priores præceptores, & fratres possunt personarum in dignitate ecclesiastica ubilibet constitutas, & quoscunque locorum Ordinarios, & eorum vicarios, officiales, canonicos metropolitan. & cathedralium, aliarumq;